



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XIV. Quod adulterium adulterio compensatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO CHRISTI 1179. hibeatis, dantes ei licentiam, aliam, si voluerit, ducendi vxorem.

\* *Tricesis* CAP. XIV. *Idem \* Cretensi episcopo.*

Significasti nobis, quod quidam miles in prouincia tua vxorem suam sine iudicio ecclesie & auctoritate dimiserit, pro eo quod suggestum ei fuerat, ipsam incestum cum quodam consanguineo suo commisisse, & propter hoc vinculo fuit excommunicationis adstrictus. Verum mulier ipsa non continuit, sed sobolem ab alio viro suscepit: nec minus postulat viro suo restitui, asserens se ab ipso iniuste fuisse dimissam, & eundem virum materiam adulterandi sibi dedisse. Vnde quia nos consuluisti, vtrum mulier ista debeat viro suo restitui, & vir ad eius receptionem compelli: fraternitati tue presentibus literis respondemus, quod si manifestum est, mulierem ipsam adulterium commisisse post dimissionem, sed non idem si ante, ad eam recipiendam prefatus vir cogi non debet, nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse.

27. Quest. 2.  
Si tu abstin.

CAP. XV. *Idem Vigornensi episcopo.*

Ad aures nostras perlatum fuisse cognoscas, quod cum quidam parochianus tuus vxorem duxisset, ea dimissa, aliam, scilicet ei consanguineam, sibi copulare presumpsit, & eam carnali commixtione cognoscere, & secum tenere minime dubitauit. Cumque prior mulier super hoc querelam mouisset, matrimonium eius denegauit, & secundae copulam professus est. Vnde cum primum coniugium aduersus eum per testes probaretur fuisse, quoniam a secunda recedere noluit, ad audientiam nostram appellauit. Super quo utique prudentiae tuae respondemus, quod si prima mulier & secunda, se vel prima vel secunda linea contingunt, tu virum facias vtraque, omni contradictione & appellatione cessante, carere, & sine spe coniugii perpetuo manere. Si vero eas \* interdicto gradu solummodo vel supra sese attingere constiterit, tu ipsum compellas a secunda recedere: & de commisso poenitentia sibi condigna imposita, eum priorem sicut vxorem suam recipere, & maritali de cetero affectione tractare constringas.

25. Quest. 5.  
de affinit.

\* fort. in  
tertio

Concil. Tom. 27.

Xxx